



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XIII. Soluuntur argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in
rebus creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

rationali conueniunt prædicata contradictoria nimirū distingui fictitiæ ad animal rationali, & non distingui fictitiæ ab animal rationali: aut ergo ea recidunt supra hominem secundum se sumptum, & animal rationale similiter usurpatum; & ita necessum est inter utrūque intercedere distinctionē virtualem: aut recidunt supra hominē, & animal rationale, quatenus subsunt cognitioni fingenti, eiusque carentiæ, planē, ut ea distinctio rationis fictitia sit inter aggregatū hominis, & cognitionis fingentis ipsum distingui secundum se ab animal rationali, & carentiæ cuiusvis cognitionis fingentis ipsum à se distingui, siue, quod perinde est, animalis, rationalis, & cognitionis non fingentis ipsum à se distingui, sed potius illud, sicut est in se cognoscentis; atque ita hæc distinctio rationis fictitia est realis inadæquata, utpote quæ inter duo complexa, sin minus ex toto, at certe ex parte realiter diuersa interiacer: haud ergo assignatur distinctio aliqua, quæ sit solius rationis, ac proinde ad hoc opus est distinctione virtuali intrinseca.

172 Obiicies secundò, iuxta doctrinam nuper à nobis traditā fieri non posse, ut distinctio virtualis sit media inter realem, & solius rationis, siue rationis ratiocinantis, atque hæc maior, & illa longo minor intervallo. Nam distinctio rationis ratiocinantis per nos est distinctio realis inadæquata; distinctio autem virtualis neutiquam est realis: hæc ergo est minor illa, & non è conuerso. Quæ si ita habent, haud dubiè vnum ex porissimis argumentis, quibus supra vti sumus ad probandam distinctionem virtualem, corruet: eam siquidem præcipue probauimus exemplo carentiæ, quæ quidem est media inter ens reale, & ens rationis fictitium, hæc maior, & illa minor. Quare, ut huic probationi vis sua constet, distinctionem etiam virtualem mediam esse oportet inter realem, & solius rationis, & altera maiorem, alteraque minorem. Cuius tamen contrarium toto hoc capite edocauimus.

173 Respondeo, distinctionem rationis ratiocinantis, de qua in præfati, bifariam sumi posse, & solere: primò, respectu rei ipsius secundum se sumptæ, hominis v. g. & animalis rationalis: secundò, intuitu cognitionum utriusque, siue duplicis complexi, quorum alterum rem, & vnam eius cognitionem, & alterum eandem rem, & aliam illius cognitionem cohibeat. Hoc præsupposito, distinctio rationis ratiocinantis contemplatione rei ipsius, quam non tam dissecat, quam dissecare, ac partiri dicitur multò minor est, quam distinctio virtualis, adeoque hæc est media inter distinctionem realem, & rationis solius, & altera maior, alteraque minor suapte natura. Quòd autem distinctio rationis intuitu rei ipsius minor sit virtuali perspicuum est, nam distinctio rationis est extrinseca rei, distinctio autem virtualis ei intrinseca: hæc ei conuenit à parte rei, illa beneficio intellectus. Verum si sumatur distinctio rationis contemplatione rei, non secundum se sumptæ, sed prout subest cognitioni, & in concreto, siue complexo illius, hoc quidem pacto est maior, quam distinctio virtualis, eo nimirum, quod sit realis inadæquata. Cæterum hoc non obest argumento, quod à similitudine carentiæ desumpsimus: nam etiam carentia, cum qua distinctionem virtualem contendimus, aliquo sensu non est maior, sed potius minor ente rationis: hoc enim cognitionem ipsam fingentem, quæ est ens reale, & extrema per ipsam fictè composita, quorum itidem quodlibet est ens reale, essentialiter includit, ut inferius lib. 4. tract. 1. exponemus, ubi etiam patebit, quapropter complexum horum entium realium non sit simpliciter ens reale, sed ratio-

nis, ac fictitium: contra verò carentia nullum ens reale quidditatiuè inuoluit.

Sed esto, virtualis distinctio nullo modo, nulloque sensu sit media inter distinctionem realem, & rationis, siue considerationis solius, vel, quia qualitercumque sumpta est minor, quàm alterutra, vel, quia non distat æqualiter ab illis, vel alio quodam ex titulo: quatenus tamen ea probari possit exemplo carentiæ, luculenter ostensum est ad finem capitis præcedentis.

C A P V T XIII.

Soluuntur argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis.

175 **C**ONTRADICTIONEM aliquam prædicatorum cum reali, & vera identitate coherere in rebus etiam creatis Scotista, Thomista, atque, ut semel dicam, scholastici omnes ante O Kam tempora semper arbitratī sunt. Et quamuis ad huiusmodi concordiam tuendam eorum alij distinctione virtuali, alij verò distinctione formali vti sint, de eo tamē, propter quod utraque distinctio adinuenta est, & quod huius materiæ præcipua difficultas est, nunquam dubitarunt. Cæterum aduersus hanc sententiam adeo receptam Guilielmus OKamus discipulus Scoti primus classicum cecinit, eumque Gregorius, Gabriel, & reliqui Nominales denso agmine sequuti sunt: Item ex nostris Oniedus, Hurtadus, Arriaga, & recentiores communiter in manuscriptis. Quorum ego placitum fateor sensui nihil, nisi, quod tractat, ut manu percipienti, & quod sensum consequitur, iudicio magis consonum esse. Hoc etiam nomine fateor nostram sententiam difficilem esse, quia nimirum intellectus crassus, ac sensibili distinctioni reali, qualis est v. g. inter album, & nigrum diu assuetus vix aliam minorem agnoscit. Enimvero sicut fides supra rationem, ita ratio supra sensum erigenda est, vel quidem plura Philosophiæ dogmata explodenda erunt. Quid sensuum iudicio magis repugnans, quàm insensibile, quam inuisibile? & tamen, ut ait Plato in Theato, profani sunt, qui nihil aliud esse putant, quàm, quod pugno tenere possunt, actiones verò, generationesque, & quiddid inuisibile in eorum, quæ sunt numero, nequaquam habent. Quid sensuum iudicio magis aduersum, quàm inter duas lineas tantum non continguas, alias tamen infinitas, ac se non tangentes interici posse? & tamen vera, & Aristotelica Philosophia id esse possibile persuadet, ut benè Augustinus expendit lib. 2. soliloq. cap. 20. hisce verbis: *an non hoc probamus (scilicet sensibus haud semper esse credendum) cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix punxi possit, alias iam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere, ut ad centrum sine ulla commixtione perueniant: cum clamat ratio innumerabiles posse duci, nec se se in illis incredibilibus angustis, nisi centro posse contingere, ita, ut in omni earum intervallo scribi etiam circulus possit: Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque, quàm ipsi oculi deficiat, siquidem per ipsos est animo inscripta, manifestum est, & multum eam differre à veritate, & illam, dum hæc videtur, non videre.* Hæc Augustinus. Quamuis ergo sensus, aut sensibile iudicium inter distinctionem realem, & virtualem non dilucider, & nusquam identitatem realem cum contradictione prædicatorum

catorum coniunctam agnoscat, recipiatur, rationi tamen cedere, ac manus dare debet. Quod, si non rationis certe fidei, cui consonum est, Paternitatem realiter producere ut quod, non producere essentia divina, hanc communicari Filio, illa non communicata, Filiationem esse genitam, ingentia essentia, necnon vni immediate humanitati Christi, non unita essentia: Cui etiam consonum est malitiam peccati prout talem à Deo non produci, & entitatem eius physicam ab eo produci: cui tandem alia non pauca his affinia consentiunt. Porro tamen plura argumenta à ratione naturali, & aliqua ex principiis nostrae fidei petita obici soleant aduersus distinctionem virtualem; quam tamen ea sint inefficacia omnium propositione, & expositione constabit.

176 Primum esto, admissa semel distinctione virtuali, posse fore, ut idem intellectus respectu eiusdem obiecti distinctos realiter, oppositosque actus, assensum scilicet, & dissensum habeat, vniue rei simul assentiat, & dissentiat, utve eadem voluntas idem obiectum odio simul, & amore distincto prosequatur. Consequentis absurditatem neminem arbitror negaturum, nisi qui audeat negare repugnantiam eam, quae elucet in hoc, quod vna, eademque anima simul sit in gratia, & peccato, Deo grata, eique inimica, Deo fruens, & apud inferas sedes cruciata, etiam penes aliam, aliamque sui formalitatem. Sequelam autem adeo absurdam probo: plus, aut certe non minus opponuntur assensus, & carentia assensus, quam assensus, & dissensus: illorum enim oppositio est in ordine ad potentiam Dei absolutam, & extraordinariam, horum verò fortassis in ordine ad solam naturalem, & ordinariam: illorum formalis, horum duntaxat virtualis: illorum immediata, cum non sit inuenire medium inter hoc, quod est intellectum assentire, & eum non assentire; horum mediata, cum fieri possit, ut intellectus, nec assentiat, nec dissentiat. Sed admissa distinctione virtuali, animalitas, & rationalitas, cum realiter indistinctae sint, ita tamen comparantur, ut altera habeat assensum, & munere illius assentiat, altera verò habeat carentiam assensus, & quod perinde est, non assentiat: assentire enim iuxta nos, siue cognoscere spiritualiter est proprium folius rationalitatis, sicut sentire, siue materialiter cognoscere folius animalitatis; alioqui nulla eis praedicata contradictoria conuenient: ergo à fortiori, &c.

177 Confirmatur, & declaratur. Rationalitas discurret, siue spiritualiter cognoscit, non cognoscente animalitate: contra verò animalitas cognoscitur aliquando, non cognita rationalitate, cum tamen ambae realiter indistinctae sint. Quidni ergo, vna, eademque realiter anima penes vnā sui formalitatem alicui assentiat obiecto, & penes aliam ei dissentiat, penes vnā bonum aliquod amet, & penes aliam illud oderit, penes vnā sit in gratia, & penes aliam in peccato, deoque inimica, ac tandem penes vnā beatam, & penes aliam reproba, ac damnata?

178 Ex huius argumenti solutione constabit, qualem praedicatorum contradictionem vni, eidemque rei concesserimus hactenus. Nunquam ergo asseruimus, animalitatem, v.g. propriē, ac simpliciter non cognoscere cognoscente, ac discurrente rationalitate, aut hanc propriē, ac simpliciter non esse cognitā animalitate cognita. Quare sanctissime affirmamus, animalitatem summā veritate, ac proprietate cognoscere, & discurre, tamen media rationalitate à se virtualiter distincta, & hanc itidem non minus verē, ac propriē cognosci, tamen media animalitate à se virtualiter distincta. Quoties enim cumque nihil medium interiacet, quod propriē, ac realiter distin-

ctum sit, prohibere haud potest, quominus denominatio rigorosē, ac propriē tribuatur: proinde cum animalitas à rationalitate, & hac ab illa non distinguatur realiter, profectō altera, media altera propriē, ac verē cognoscens, & cognita denominabitur. Quod ergo asseruimus duntaxat fuit, animalitatem, ut animalitas est, non cognoscere spiritualiter, cum tamen rationalitas ut rationalitas est, ita cognoscat, & discurrat, & rationalitatem, ut rationalitas est, viso eminens homine non cognosci, cum tamen animalitas prout talis cognoscat. Hoc autem sufficit, ut haec formalitates virtualiter distinguantur, ac praedicata contradictoria suscipiant; obstat verò, & prohibet, ne cognita, aut cognoscente vna formalitate, altera non dicatur propriē, ac simpliciter cognita, aut cognoscentes.

179 Ecce quatenus nullum sequatur absurdum ex eo, quod vna formalitas immediate, & reduplicatiue sumpta sine alia sit cognoscentes, aut cognita. Verum si vna formalitas animae intellectiuae esset assentiens, & altera dissentiens, vna amans, & altera odio habens, vna in peccato, & altera in gratia, &c. profectō sequeretur, has denominationes adeo oppositas eidem animae, imò eidem eius formalitati propriē, absolute, ac simpliciter conuenturas, quo nihil absurdius dici, aut cogitari potest. Quamuis enim posito assensu, & dissensu in eodem intellectu (& par esto de reliquis iudicium) vna formalitas intellectus tantummodo assentiret immediate, & reduplicatiue sumpta, & sola altera eodem modo dissentiret, tamen altera, media altera secum realiter eadem, propriē assentiret, & hac secunda media priori strictē dissentiret, ac proinde alterutra propriē, ac strictē simul assentiret, ac dissentiret. Quidquid etiam sit de vera formalitate singularim sumpta, negari saltem nequit, totam animam intellectiuam simul assensuram, & dissensuram, si vna sui formalitate assensum, & alia dissensum haberet. Hoc igitur posterius admitti non debet, ne illud prius, & alia non minus absurda indissociabili consequentia sequantur.

180 Ut hac solutio magis elucescat, quae non paucis difficultatibus lucem allatura est, operae pretium erit, aliquas contra eam obiectiones ponere, & remouere.

Obiicies igitur primò: Paternitas diuina realiter non communicatur Filio, & tamen ei media natura secum realiter eadem, ac solum virtualiter distincta communis est: licet ergo animalitas media rationalitate à se virtualiter tantum distincta discurrat, ac spiritualiter cognoscat, & hac tantum media animalitate sentiat, haud propterea, vel animalitas realiter, & propriē discurret, vel rationalitas sentiet, perinde, ac superius affirmauimus.

181 Respondeo, formalitates diuinas, & creatas inter se valde differre cum aliis nominibus, tum etiam multò magis quod ad praesens attinet. Cum enim Paternitas absolute, ac propriē distinguatur realiter à Filiatione ob alterius ab altera originem, nihil mirum, quod ei non communicetur propriē, & absolute, quantumvis media natura ei communicetur: huic enim mediae communicationi praeponderat distinctio realis Paternitatis à Filiatione, & obstat, ne talis communicatio Paternitatem Filiationi propriē, ac realiter communem, siue eandem denominet. Atqui nihil simile habet rationalitas, quod obstat, ne animalitas immediate sentiens eam etiam propriē, ac simpliciter sentientem denominet, nihil etiam animalitas, quod, ne discurrat, discurrente rationalitate, prohibeat. Sed inflabit à nobis sustineri non posse, Paternitatem distingui realiter à Filiatione, quin

quin per denominationem ab illa denominetur etiam natura, quam habet secum identificatam à Filio realiter, ac propriè distincta; aut contra naturam identificari Filio, quin eadem natura eo ipso censetur Filiationi eadem, haud secus, atque in nostris principiis cognita animalitate cognoscitur propriè rationalitas, & hac discurrente discurrit illa, quæ est harum formalitatum inter se indistinctio, ac realis identitas. Verùm respondeo, infinitatem naturæ diuinæ, & relationum ei inexistentium præstare, vt hæc sint realiter distinctæ, & non eadem, quantumlibet natura cum singulis identificata non sit realiter distincta ab earum aliqua, vtque contra natura sit ita ab eis indistincta, quin hæc realis indistinctio redundet in relationes secum realiter identificatas. Cum autem formalitates creatæ sint finitæ, & omnis expertes infinitudinis, id mysterij in eis admitti non posse, nec fieri, vt quæ entitates habent communes, & realiter easdem, tamen denominationes sibi neutiquam communicent.

182 Obiicies secundo: si, prout hætenus dictum est, denominatio conueniens vni formalitati creatæ redundat absolute, & propriè in aliam: iam ergo, vt odium contritionis terminatur ad peccatum, ita etiam amor, merito scilicet identitatis realis cum odio: & contra etiam odium absolute, ac propriè terminabitur ad Deum, quæ vid. licet est eius cum amore identitas: quidni ergo in nostris, non minus, quam aduersariorum principis contritio amet peccatum, haud secus, ac Deum? aut cur, non hunc non minus, quam illud denominet odio habitum? Prima ergo ratio, qua vsi sumus pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis parem aduersus nos, ac aduersus eam negantes vim habet: Respondeo: amari aliquid est amorem ad illud immediate, & vt amor est, terminari, haberique odio, est, hoc ad illud simili ratione terminari: vt enim visum est supra, ad effectum formalem, ac denominationem tribuendam opus est, non tantum forma, & subiecto, siue obiecto capaci, sed etiam vnione, & communicatione proportionata, qualis est in præsentī immediata terminatio amoris, & odij: hæc ergo cum desit, & amor contritionis, vt amor est, ac immediate non terminetur ad peccatum, odiumque in eo imbibitum, vt odium est, atque immediate ad Deum non terminetur, nil mirum est, si contritionis actus, nec Deum odio, nec peccatum amore prosequatur.

183 Obiicies etiam tertio in nostris principiis negari non posse, quin visus corporeus propriè, ac simpliciter dependentiam essentialē candoris à Deo percipiat, idque clarè, & explicitè, quippe qui ita vim segregatiuam visus cum priori illa habitudine realiter identificatam percipit. Iam ergo visus corporeus terminum eius dependentiæ, nempe Deum attinget. Secunda ergo ratio, qua probare conati sumus, distinctionem virtutalem in rebus creatis, etiam ea admissa, parem, eandemque facessit difficultatem. Verùm huic instantiæ, sicut superiori respondendum est, videlicet, in nostris principiis, visu corporeo percipi quidem clarè, & explicitè dependentiam essentialē candoris à Deo, non tamen, vt est dependentia, sed vt vis segregatiua visus, & ad alia connotata habitudo: proinde non esse, cur debeat Deum ipsum percipere. Alia est ratio in contraria opinione, iuxta quam visus corporeus nequit non attingere dependentiam illam, vt ex parte rei, & seorsim à quauis consideratione nostra dependentia est.

184 Obiicies quartò. Animalitas dicitur propriè, non solum sentiens, sed etiam discurrentes, siue spiritualiter cognoscens, tamen media rationalitate im-

mediate discurrente. Rationalitas ergo dicitur propriè non discurrentes, ac spiritualiter non cognoscens media animalitate, quæ quidem immediata non discurrit, nec spiritualiter cognoscit. Cur enim denominatio rationalitati immediate conueniens in animalitatem redundet, & non etiam è contrario se res habeat? Iam ergo rationalitas erit simul spiritualiter cognoscens, siue discurrentes, ac etiam non discurrentes, & vtutrumque propriè, ac simpliciter. Non solum ergo rationalitas ab animalitate, sed etiam ipsa tota à semetipsa virtualiter distinguetur, ac respectu sui prædicata contradictoria suscipiet. Quo nihil, aut à ratione, aut etiam à nostra sententia magis alienum esse potest.

185 Respondeo negationem esse malignantis naturæ, ac totum negare, cum tamen affirmatio totum non adstruat, sed quouis contenta sit: quocirca vt Petrus v. g. absolute dicatur non albus, opus est omnis, & cuiuscumque albedinis carentiam ei inesse: vt verò dicatur simpliciter albus, satis est, vt vna tantum albedo ei inhæreat. Similiter ergo, vt aliquid propriè, & absolute dicatur cognoscens, ac discurrentes, sufficit, vt penes aliquam formalitatem secum identificatam immediate discurrat, vt verò propriè, & absolute dicatur non cognoscere, siue non discurrere, oportet, vt penes nullam formalitatem immediate discurrat. Cum ergo non discurrente immediate animalitate, rationalitas tamen ab ea indistincta immediate discurrat, hoc sufficiens est, vt nec rationalitas, nec etiam ipsa animalitas propriè, ac simpliciter dicatur non discurrentes, atque etiam, non solum rationalitas, sed insuper animalitas, adeoque totus homo dicatur discurrentes. Optime igitur in nostra sententia explicatur, curnam vna denominatio, potius, quam alia; positiua nimirum, & non negatiua deriuetur ab vna formalitate in aliam, ac proinde, quòd rationalitas non denominetur propriè discurrentes simul & non discurrentes, sicuti ad eius à semetipsa distinctionem virtutalem oportet.

186 Obiicies quintò: cognita propriè animalitate, cognoscitur iuxta nos propriè rationalitas, & hac propriè cognoscente, & discurrente, propriè etiam animalitas discurrit: E contrario etiam sicuti rationalitas impropriè dicitur non cognita, viso procul homine, eiusque à bellua discrimine non satis elucente, ita etiam ipsa animalitas dicitur impropriè non cognita: quod enim propriè cognoscatur, non tollit, quominus impropriè non cognoscatur, præsertim, cū media formalitate secum realiter identificata quodammodo non cognita denominetur: Ac tandem, vt animalitas dicitur impropriè non discurrentes, ita etiā rationalitas denominatur saltem impropriè, non discurrentes. Animalitati ergo, & rationalitati eadem omnino prædicata, ac proinde non contradictoria, conueniunt: inter eas ergo distinctionē virtutale verbis admittimus, re negamus.

187 Respondeo cognita, & cognoscente vna formalitate hominis, aliam etiam propriè cognitam, aut cognoscentem esse, & aliā non cognitam, aut non cognoscentem, impropriè vtique, alteram etiam impropriè nō cognoscentem, ac non cognitam denominari: nihilo tamen minus distinguuntur virtualiter, ac prædicata contradictoria suscipiunt. Etenim animalitas v. g. prout animalitas est, cognoscitur viso procul homine, & rationalitas prout rationalitas est, nō cognoscitur, sed latet: itidē hæc prout talis est, spiritualiter cognoscit, cū tamen in illa, prout animalitas est, ita nō cognoscat. Hæc autē esse prædicata contradictoria cū distinctione virtuali cōiuncta manifestū est: primò, quia idē affirmat, ac negat, videlicet de altera formalitate immediate, ac reduplicatiuè cognosci, & de altera ita non cognosci:

F Secundò,

Secundò quia natura diuina, & Paternitas virtualiter distinguuntur, quoniam, tamen si Paternitas propriè communicetur, vt natura, & natura etiam non communicetur quodammodo, vt Paternitas: cæterum natura, vt natura communicatur, & Paternitas, vt Paternitas non communicatur: Similiter ergo in præfenti &c. Tertiò, quia perempta animalitate, & manente per impossibile sola rationalitate, hæc nullatenus esset cognita vi eius cognitionis, quam species hominis eminens, & confusè visi in mente excitat: animalitas verò manens sine rationalitate per eam cognitionem dignoscetur: Pari modo, si per impossibile maneret sola animalitas sine rationalitate, ea neutrquam discerneret per discursum homini modò inexistente, per quem tamen rationalitas sine animalitate manens haud dubiè discerneret: Aliter ergo cognitio terminatur ad animalitatem, & aliter ad rationalitatem, aliterque etiam, & aliter in vtraque recipitur: ergo etiam longè aliter animalitas, & rationalitas cognitionem terminant, ac recipiunt, adeoque contradictioni prædicatorum, & distinctioni virtuali obnoxie sunt, quantumlibet vtraque propriè cognoscat, & cognoscatur, necnon impropiè non cognoscat, ac non cognoscatur.

188 Obiicies sextò, eos, qui præcisiones obiectiuas, ac distinctionem virtuales in rebus creatis negant: ita tueri animalitatem cognita cognosci simpliciter rationalitatem, vt nihilominus ea, prout est rationalitas, non cognoscatur, sicut cognoscitur animalitas prout est animalitas: Hoc ergo idem si à nobis asseritur, & aliud præterea nihil, equid esse potest nostræ sententiæ a contraria discrimen? Respondeo, longum, larumque, Nam iuxta aduersarios ex parte solius modi verum est, cognosci animalitatem, prout est animalitas, & non cognosci rationalitatem, prout est rationalitas: Quocirca eius affirmationis, & negationis vis est, modum cognoscendi respondentem huic voci *animalitas*, haud esse eum, qui subiicitur huic voci, *rationalitas*, esto vtriusque obiectum sit idem, vnde, non tam obiecto ipsi penes diuersas eius realitates conueniunt prædicata opposita, quàm diuersis, quibus ex toto cognoscitur, & penitus exhauritur quidquid est in ipso. At in nostra sententiâ animalitas, prout est animalitas, ex parte ipsius obiecti cognoscitur, & rationalitas, prout etiam est ex parte obiecti talis, non cognoscitur, eaque reduplicatio, prout, cadit, non supra modum cognoscendi nostrum, sed supra obiectum ipsum, quatenus ab omni cognitione distinctum: Ita ergo cognosci, & non cognosci in ipso obiecto, siue in re secundum se, non verò in cognitionibus nostris diuersitatem aliquam arguent: at non realem, ergo virtuales.

189 Obiicies septimò, & superiores confirmabis instantias. Non cognosci rationalitatem, cognita propriè iuxta nos animalitatem, est duntaxat eam impropiè non cognosci. At cognosci propriè animalitatem, & non cognosci impropiè rationalitatem, haud sunt prædicata contradictoria, quemadmodum Petrum v.g. esse hominem propriè, & non esse hominem pictè, siue impropiè, non contradicunt inuicem: distinctio ergo virtualis, & prædicatorum contradictio à nobis sola voce tenus defenditur, & non re vera. Respondeo, rationalitatem bifariam sumi posse, & solere, nimirum absolute, & secundum omne, quod realiter, & verè in se ipsis est; aut reduplicatiuè, ac prout est rationalitas: posteriori modo sumptâ propriè non cognoscitur, esto animalitas eodem usurpata modo cognoscatur propriè: vtrique ergo ea ratione conueniunt prædicata contradictoria, scilicet propriè cognosci, & propriè non cognosci, non ve-

rò prædicata oppositionis expertia, & compossibilia inuicem, cuiusmodi sunt propriè cognosci, & impropiè non cognosci: priori verò modo accepta rationalitas tantum habet impropiè non cognosci, & propriè cognosci, quod certè ad infirmam non pauca aduersariorum argumenta nobis sufficit.

190 Quocirca, ne de distinctione virtuali intrinseca, ac prædicatorum contradictione ad homines, vt aiunt vlla nobis lis moueatur; atque, vt luce clarius constet, haudquaquam nos recidere in sententiam oppositam, & hæcenus tantopere impugnata; in primis animalitati, & rationalitati ex parte obiecti sumptis conueniunt prædicata contradictoria reduplicatiuè, hoc est alteram immediate, & vt talis est, propriè non cognosci, alteramque eadem cum immediatione, & reduplicatione propriè cognosci. Deinde eis conueniunt prædicata contradictoria hypothetica, siue conditionalia: nam animalitas, si per impossibile esset, separata à rationalitate, eandem, quam modò cognitionem, videlicet per species confusas eminens causatam terminaret: rationalitas verò facta ea hypothese haudquaquam esset eius cognitionis terminus, haudue per eam instar animalitatis propriè cognosceretur. Tertiò eis competunt prædicata contradictoria causalia: nam, esto, obiectum procul apparet absolute sumptum cognoscatur ex toto, & tum penes animalitatem, tum etiam penes rationalitatem: at ratio, cur ita propriè cognoscatur, haud est rationalitas, sed animalitas, ideoque cognoscitur, quia est animal, & non, quia rationale. Atque obiter constat, distinctionem virtuales intrinsecam hucusque à nobis propugnata quodam sensu vocari posse distinctionem rationis, videlicet, si ratio sumatur, non pro consideratione aliqua nostri intellectus, siue actuali, siue aptitudinali, sed pro obiectiuâ ratione, & causa, propter quam quidpiam dicitur tale.

191 Hæcenus solum primum illud argumentum. Aliam porò solutionem addicio hoc priori potior, quòd iuxta eam nullus sit locus id nobis opponendi, quòd distinctionem virtuales, nostramque deferamus sententiam, & sensim recidamus in contrarium. Quædam autem præmittenda sunt. Primum esto, animalitate nobis eminens obiecta, & in ordine ad sola connotata sentiendi cognita, rationalitatem absolute, & nulla facta reduplicatione non cognosci, & hac assentiente, & spiritaliter cognoscente, alteram absolute itidem, & sine congeminatione sumptam haud assentire. Quamuis enim contrarium hucusque à nobis traditum, & latè probatum sit, quod tamen hæc etiam doctrina probabilis sit, suaderet hunc in modum. Idcirco paries v.g. quamuis vt albus sit essentialiter albus, tamen absolute, & secundum se non est essentialiter albus, quoniam ea reduplicatio, vt, cadit, non supra eius entitatem, sed supra aliam à se realiter distinctam, videlicet albedinem; atqui cum dicitur, *rationalitas, vt rationalitas est, non cognoscitur propriè, cognita animalitate, & animalitas, vt animalitas est, non assentit, indicatur assentiente rationalitate*, alterutra congeminationis cadit supra ipsam rationalitatem, & animalitatem: quidni ergo altera absolute dicatur non cognosci, & altera eadem ratione non assentiri?

192 Præmitto secundò, rationalitatem etiam absolute, & sine reduplicatione vlla denominari quoque posse cognitam cognitione illa confusa, de qua sermo; & animalitatem similiter assentientem, seu spiritaliter cognoscentem: nam rationalitas cognoscitur, vt est animalitas, & hæc assentit, vt rationalitas est: neutra autem harum formalitatum propriè, &

& verè distinguitur ab alia : haud ergo præfata reduplicaciones cadunt supra aliquid ab alterutra distinctum , adeoque quæ conueniunt eis denomi-
nationes , prout altera identificatur cum altera
ea conueniunt illis absolute , & secundum se sum-
ptis ; aut cerè nullius erit momenti ratio , qua
probatum est , quod primo loco præmissimus.

193 Præmitto tertio , hinc nullatenus sequi ratio-
nalitatem esse virtualiter distinctam à seipsa , aut
animalitatem à se itidem : quamvis enim rationali-
tas absolute cognoscatur , & non cognoscatur , idque
verè , & propriè (quod impræsentiarum semper
supponi velim) & animalitas similiter dicatur abso-
lutè assentiens , & non assentiens , adeoque alterutri
conueniant prædicata contradictoria ; cæterum cum
iuxta doctrinam , quam tradimus , denominatio
quævis , siue positiua , siue negatiua vnius pro-
pria formalitatis redundet necessariò in aliam se-
cum realiter identificatam , ac tantum virtualiter
distinctam , ambabusque absolute sumptis affectio-
nes omnes sint communes , & vtrò , citròque pro-
grediantur , sanè distingui quidpiam in se , ac multi-
plex esse virtualiter , haud erit recipere prædicata
contradictoria , vtrunque , sed prout est tale : vnde
cum rationalitati , vt rationalitas est , conueniat co-
gnosci , & non cognosci , sed non cognosci , vt
rationalitas est , & cognosci , vt animalitas ; cum-
que huic etiam , prout talis est , haud competat as-
sentiri , & non assentiri sed prius ei conueniat , quia
est rationalitas , & posterius , quia est animalitas ,
nil mirum , si neutra harum formalitatum sit vir-
tualiter à se distincta , aut respectu sui multiplex.

194 Præmitto quarto ; cognita animalitate per spe-
cies confusas , & abstractiuas duntaxat , non co-
gnosci , tum ipsam , tum rationalitatem præcisiuè ;
& rationalitate assentiente tantum , non assentiri ,
& ipsam , & etiam animalitatem præcisiuè . Ratio
est : quia ideo voluntas exempli gratià pro priori
naturæ suæ indifferentiæ proximè tantum non
amat præcisiuè , non verò negatiuè , quia id genus
non amandi , haud tollit , quominus eadem volun-
tas pro alio signo posteriori verè amet : At cum di-
citur rationalitas , necnon etiam merito illius ani-
malitas ipsa non cognosci , aut hæc simul cum
rationalitate non assentiri , vtraque nihilominus
cognoscitur , & assentitur , idque verè , & pro-
priè : tantum ergo eis conuenit non cognos-
ci , ac non assentiri præcisiuè , non verò negati-
uè .

195 Præmitto quinto : quamvis huiusmodi sint co-
gnosci , & non cognosci , assentiri , & non assen-
tiri , eorumque vi haud videatur argui distinctio
virtualis in homine , quatenus est animal , & qua-
tenus rationale , non secus , ac voluntas , quamvis
amet , & non amet modo supradicto , nequaquam
tamen distinguitur à seipsa , sed potius eadem ,
tum realiter , tum etiam virtualiter est , quæ pro
priori naturæ non amat , vtrique præcisiuè , & quæ pro
posteriori positiuè amat ; at aliter se rem habere :
nam idcirco amare , & non amare præcisiuè in vo-
luntate non arguunt multipliciter , ac distinctio-
nem virtualem formalitatum , quia eiusmodi præ-
dicata cadunt , non supra eandem rem ; sed supra di-
uersas , adeoque solam distinctionem realem ar-
guunt , ac supponunt : perinde enim est dicere , vo-
luntas pro priori naturæ non amat præcisiuè , atque ,
si quis dicat voluntas prout est indifferens in actu
primo proximo , siue quod iuxta , eius indifferentia
proxima non est amor : contra verò eam pro posteriori
naturæ amare , est id , quo exercet suam indifferentiam

R. P. Richards Lyncei, Philosoph. Tom. III.

esse amorem : en quatenus amor & non amor recidunt
supra subiecta realiter distincta , cuiusmodi sunt in-
differentia proxima voluntatis , & eiusdem exerci-
tium . At cognosci , & non cognosci præcisiuè , as-
sentiri , & non assentiri itidem præcisiuè conueniunt
eidem rei , videlicet animalitati , & rationalitati , siue
homini , quatenus vtramque complectitur : quidni er-
go in eo plures formalitates virtualiter distinctas
arguant ?

196 His constitutis ad argumentum principale respon-
deo , cognosci , & non cognosci negatiuè , atque assen-
tiri , & non assentiri etiam negatiuè plus , aut cerè non
minùs opponi , ac distare , quàm assentiri , ac dissen-
tiri , & alia eiusmodi prædicata : cæterum secus se rem
habere , si cum eis conferantur cognosci , & non co-
gnosci præcisiuè , & similiter assentiri , ac non assenti-
ri : hæc enim minùs opponi , ac distare , quàm illa : tum ,
quia inter hoc , quod est voluntatem amare , & non
amare præcisiuè , minor est oppositio , ac distantia ,
quàm inter amorem , & odium quamvis amor , &
odium haud minùs opponantur , quàm amare , & non
amare negatiuè : tum etiam , quia priora illa prædicata
contradictoria se mutuò excludunt , & ab eadem rea-
litate , & quod modò plus est à re eadem ; cum tamen
posteriora , & respectu eiusdem rei , & respectu eius-
dem quoque realitatis cohæreant , eiusdem , inquam ,
specificatiuè , non verò reduplicatiuè sumptæ , vt su-
perius demonstratum . Quandoquidem igitur assentiui-
mus , cognita animalitate eminens nobis obiecta , ratio-
nalitatem tantum præcisiuè non cognosci , & hac as-
sentiente , seu spiritualiter cognoscente , illam duntaxat
præcisiuè non assentiri , neutrobi verò particu-
lam , non , sumi negatiuè , mirum non est , quod haud-
quaquam sequatur ex nostra sententia , fieri posse ,
vt in eandem animam simul cadant assensus , &
odium efficax , & alia id genus opposita prædi-
cata .

197 Secundum argumentum contra distinctionem
virtualem intrinsecam est , eam , non , re sed solo
nomine differre à distinctione ex natura rei , to-
tamque nostram sententiam merum esse Scoticif-
mum : qui enim distinctionem ex natura rei ; qui
scotum sequuntur , tantum contendunt , idem rea-
liter , & in se re vera indistinctum , & immultiplex , ta-
men , subesse prædicatis oppositis : Atqui nos hoc
admittimus : distinctionem ergo ex natura rei sequi-
mur , & Scoti adhaeremus .

198 Hoc pacto distinctionem virtualem finistrè inter-
pretantur aliqui , vt inuidiam ei concilient . Verum , vt
cum Virgilio in Battarum loquar

*Dulcia amara prius fient , & mollia dura ,
Candida nigra oculi cernent , & dextera laua ,
Vel vt cum Seneca in Hercule furente
Pax ante fida niuibz , & flammis erit ,
Et Scylla Siculum iunget Ausonio latus :*

Quam distinctio virtualis sit ex natura rei , ambæ-
ue vllò identitatis fœdere , ac pace iungantur in-
uicem . Altera enim est virtualis , altera actualis , al-
tera propria , impropria altera , vna realis , altera tan-
tum reali æquiualens , vna , vt semel dicam , distin-
ctio , altera indistinctio , & umbra duntaxat distin-
ctionis eius naturam quadantenus referens . Quo-
circa , tametsi cum diuersæ scholæ asseclis in hoc
conueniamus , quod idem realiter , vt idem , susci-
pere prædicata contradictoria reamur , cæterum hoc
principio aliter ipsi , aliter nos vtimur : ij enim ex-
inde distinctionem ex natura rei colligunt , non verò
distinctionem virtualem : quantum verò inter
vtramque interlit , neminem puto nescium fore , nisi ,
qui , quod est , ab eo , quod non est , nesciat discernere .

F 2

Quod

199 Quod autem ad Scotum attinet, utinam tantus author nostram sententiam, utinam distinctionem virtuales amplecteretur in rebus creatis: ea quidem esset hoc nobis nomine charior, ea esset hoc patrocinio ab aduersariis tutior: fortassis tamen aliter de distinctione philosophatur ille, eamque virtuales in Deo, & formalem, actuales in nobis constituit, ut colligere est ex iis, quae differimus tract. praecedenti cap. 5. ad eius finem. En huius, quod modò absolutum est, decursu constat, quam immerito aliqui nostram distinctionem graduum cum distinctione solius rationis, siue considerationis confundant, alij verò cum distinctione formali, & ex natura rei Scotica. Quae sequuntur autem id plenum facient, aduersus non paucos haudquaquam sequi ex nostra sententia distinctionem realem graduum metaphysicorum.

CAPUT XIV.

Soluntur alia argumenta aduersus distinctionem virtuales intrinsecam in rebus creatis.

200 Tertium aduersus eam argumentum est huiusmodi. Talis distinctio virtualis datur à parte rei ante omnem operationem intellectus: ergo est distinctio realis. Respondeo, eam dari à parte rei improprie tantum, & secundum quid, sicut tenebrae à parte rei dantur: unde quemadmodum haec, etiam si ante operationem omnem intellectus dentur, adeoque re ipsa, quodammodo tamen entis realis rationem, & appellationem non merentur, ita similiter distinctio virtualis, &c.

201 Quartum argumentum, & superioris confirmatio esto. Distinctio virtualis intrinseca est eiusdem rei aptitudo ad praedicata contradictoria, siue oppositio contradictoria eidem rei conueniens, sed aptitudo illa, & oppositio animalis v. g. & rationalis est vera, & propria aptitudo, & oppositio: ergo & distinctio. In isto imprimis argumentum: imago Caesaris v. g. est formalissime homo pictus, sed est propria, ac realis imago: ergo & proprius, ac realis homo: consequens huius syllogismi est nullum; ergo, & illud, quod aduersarij efficiunt. Respondeo secundò: oppositio quidem contradictoria animalis, & rationalis v. g. eorumque aptitudo ad praedicata opposita, & contradicentia inuicem non est absolute, & sine limitatione distinctio, sed tantum distinctio virtualis, atque hoc, aliudque diminuens additum semper exposcit: quocirca ex eo, quod sit propria, & vera oppositio, vel aptitudo, non sequitur, quod sit absolute, & sine vlla adiectione diminuentem propria, & realis, seu vera distinctio, sed tantum propria, & vera distinctio virtualis, seu distinctio realis virtualis, ut aliter, aliterque loquuntur auctores: qua etiam ratione imago Caesaris est verè, ac proprie, & realiter homo pictus, non tamen seorsim ab ea moderatione homo.

202 Quintum argumentum, & superiorum etiam confirmatio. Aliquid esse proprie tale est esse tale à parte rei, & ante considerationem omnem intellectus: at distinctio virtualis est talis à parte rei, & antea, quam intellectus de ea quidpiam consideret: ergo est proprie, & absolute distinctio, contra, quam supposuimus hactenus. Maior, in qua est tota difficultas, sic suadetur: ob id Petrus v. g. est homo proprie, Bucephalus proprie equus, Lelapsus proprie canis, quia tales sunt à parte rei, & prius, quam

de eis quidpiam meditetur intellectus: Contra verò ob id homo pictus non est proprie homo, quia dici nequit homo, quovis intellectus picturam hominis propter huius similitudinem quoad exteriora lineamenta hominem esse fingat, aut certè velut talem eam apprehendat. Simili modo tenebrae non sunt, nec existunt proprie, quia non possunt dici existere, donec ad instar rerum existentium à nobis concipiantur. Et quidem alioqui videtur, haud posse assignari rationem communem conceptus proprii, reue proprie talis.

203 Respondeo, aliquid esse proprie tale, est ex parte rei, & ante intellectus omnem negotiationem illud esse tale; at sine vlla tamen adiectione. Hac enim de causa Petrus v. g. est proprie homo, Bucephalus equus, & Lelapsus canis; atque hoc quidem intellectu maior argumenti est verissima. Hinc autem tantum abest, sequi distinctionem virtuales esse propriam distinctionem, ut potius sequatur oppositum: nam ea non est à parte rei, & ante omnem intellectus considerationem distinctio absolute, sed distinctio virtualis: quare non erit proprie distinctio, sed tantum proprie distinctio virtualis, quod est esse absolute improprie distinctionem. Quod, si insistent neoterici, quibus plus aequo hoc placuit argumentum, quomodo-cumque aliquid sit tale à parte rei, esse proprie tale: hominem autem pictum non esse hominem pictum à parte rei, sed per intellectum, qui picturam hominis velut hominem apprehendit, nec tenebras etiam esse re ipsa tenebras, sed consideratione sola; facile conuinci possunt quoad prius; curnam enim comparatio, quam facit intellectus picturae cum homine vero, eam denominet hominem pictum, & ad hanc ei denominationem tribuendam non sufficiat analogia, & proportio illa, quam à parte rei, & nullius munere considerationis sortitur cum homine vero? Quoad posterius autem refellentur inferius lib. 4. tract. 2. vbi latè ostendam, tenebras suum esse diminutum habere à parte rei, illudque non debere intellectui, aut vlli eius actui. Adice, tum hoc argumentum tum etiam duo proximè antecedentia aperte instari in Deo, in quo à plerisque aduersariis admittitur distinctio virtualis. Quaeso enim, an ea sit realis, cum sit à parte rei, an propria, propterea, quod sit propria aptitudo eiusdem rei ad praedicata contradictoria, an denique propria ob id, quod sit à parte rei, & ante considerationem intellectus distinctio virtualis?

204 Sextum argumentum contra distinctionem virtuales intrinsecam graduum est huiusmodi. Omnis contradictio praedicatorum arguit distinctionem realem: perperam ergo dicimus, eam cum sola distinctione virtuali interdum esse coniunctam: consequentia est perspicua: suadetur antecedens: aliqua distinctio praedicatorum distinctionem arguit realem: ergo & omnis: cur enim vna potius, quam alia?

205 Respondeo triplicis generis esse praedicata contradictoria, quae distinctionem realem arguunt, cetera verò eam haud arguere. Imprimis duo ita comparata esse, ut alterum eorum realiter separatur quoad esse, siue existere ab alio, cum tamen neutrum à se ipso ita separabile sit, utriusque distinctionem realem ineluctabiliter infert. Rursus secundò duo ita instituta esse, ut alterum aliud realiter producat quoad primum esse, aliudque à priori sit realiter productum quoad primum etiam esse, cum tamen neutrum ita seipsum producat, aut à se ipso productum sit, utriusque realem distinctionem ineluctabiliter